

2779. XIV, 2-6 — Posse tomada por D. Beatriz, duquesa de Sabóia, filha de el-rei D. Manuel, das terras de Monte Calerio com todos os seus castelos, rendas e direitos que lhe tinham sido dados por escritura, por seu marido, Carlos de Sabóia. Monte Calerio, 1521, Dezembro, 12. — *Pergaminho. Bom estado.*

In nomine Domini nostri Jhesu Christi amen anno ejusdem currenti millesimo quingentesimo vigesimo primo indizione nona et die Jovis duodecima mensis Decembris in Monte Calerio in Generali Consilio centum et

viginti quatuor capitum domorum communis et hominum Montis Calerii ac credencia de mandato et auctoritate spectabilis domini Anthonini F'izoris honorandi castellani ejusdem loci pro illustrissima dominatione Sabaudie et ibidem presentis sono campane et voce preconia in palacio communis ejusdem more solito congregato ubi affuerunt nobiles sindici consulesque et credendarii ejusdem communitatis in numero sufficienti et ultra duas partes ipsum totum consilium et credenciam representantes se presentavit magnificus dominus Jaffredus Paserii ex collateralibus magnifici consilii residentis in hac parte commissarius Sabaudie ducalis constantibus litteris dominicalibus quarum tenor sequitur et est talis.

Karolus dux Sabaudie etc.^a *Spectabili* benedilecto fideli consiliario nostro domino Jaffredo Paserii ex collateralibus consilii nobiscum residentis ad infrascripta per nos deputato salutem.

Informati de tenore instrumenti tractatus matrimonii per nos cum illustrissima sincere dilecta consorte nostra carissima Domna Beatrice de Portugalia celebrati ex cuius tenore licet possessio castrorum locorum et juriditionum cum eorum emolumentis que illustrissime bone memorie consanguinea nostra Domina Blanca a nobis et de dominio nostro pro ejus dotalicio dum viveret tenebat et possidebat eidem illustrissime consorti nostre pro status sue domus manutencione assignatorum non veniret remittenda nisi intra tres menses a die celebrationis nuptiarum inschandos.

Verumtamen ut manifeste deprehendant omnes quantum cupiamus contractum ipsum nedum observare et que nobis incumbunt ultro adimplere sed tempus predictum liberaliter anticipare. *Cum* pro nostra in serenissimum et invictissimum doninum Portugalie regem sacerorum nostrum colendissimum observantiam tum pro ea singulari benivolencia et dilectione qua ipsam illustrissimam consortem nostram suis qualitatibus et meritis exigentibus jure prosequimur vobis ex certa sciencia expresse comittimus et mandamus quathenus ad loca propterea opportuna personaliter accedendo eandem illustrissimam consortem nostram seu pro ea agente in possessionem realem actualem et corporalem dictorum castrorum locorum et juridicionum que prefata illustrissima Domina Blanca ut premititur tenebat et possidebat cum eorum proventibus et emolumentis bonis pertinentibus et appendentibus universis ponatis mittatis et inducatis positamque missam et inductam manuteneatis tueamini et deffendatis cum potestate officiarios in dictis terris constituendi et deputandi constitutosque revocandi et alia faciendi que ad hoc necessaria fuerint et opportuna servata forma dicti tractatus subque modis formis reservacionibus et condicionibus in eodem descriptis. *Precipiendo* insuper et injungendo universis et singulis officiariis et subditis dictorum locorum mediatis et inmediatis eciam voce preconia locis et moribus talia fieri solitis sub pena indignacionis nostre pro quolibet. *Quibus* sic injungimus quod eidem illustrissime consorti nostre suisque officiariis de cetero pareant obedient et assistant et de dictis proventibus redditibus et emolumentis indillate res-

pondeant prout eidem illustrissime quondam Domine Blanche et suis officiariis parere obedire et respondere solebant.

Quoniam sic fieri volumus et vobis penas et muletas imponendimitti gandi declarandi ac alia omnia in premissis et circa necessaria faciendi gerendi et exercendi vobis plenam presentibus impartimur potestatem vestrisque jussibus et mandatis circa hec fiendis pareri volumus et intendi cum et sine penis veluti nobis quibuscumque in contrarium allegantibus non obstantibus.

Datum Cargnani die quarta mensis Novembbris millesimo quingen tesimo vigesimo primo per dominum presentibus dominis reverendissimo Gaudio de Stomaco episcoppo Bellicensi cancellario ordinis Gabriele de Laude cancellario Sabaudie Jacobo comite Mon... barone Miolai ex militibus ordinis gaudio de Baley^e barone Sancti Germani Ludovico de Ca.^{ro} Domino de Mussinens magno scutificeo scutifferie Bertolino de Monte.^{ro} Domino Fruzasci Rliport Vulliet.

Quicquidem magnificus dominus collateralis predictus volens mandata ducalia exequi vigore predice sue comissionis ac in exequucionem tractatus matrimonii in predictis litteris comisionalibus mencionati posuit in possessionem realem actualem et corporalem hujus opidi Montis Calerii tamquam de terris et castris que alias tenebantur per illustrissimam nunc quondam Dominam Blancham de Monte Ferrato Sabaudie ducissam pro ejus donareo illustrissimam ac inclitissimam Dominam Beatricem de Portugallia Sabaudie ducissam in personam tamen spectabilis ac generosi in utroque jure licenciati Domini Alvari Johannis procuratoris specialis ad hujusmodi possessionem aprehendendam et aprehensam retinendum (sic) a prelibata illustrissima Domina ducissa Sabaudie constituti constantibus litteris patentibus quarum tenor sequitur et est talis.

Beatrix de Portugallia ducissa Sabaudie etc^a.

Universis sit manifestum et cum placuerit illustrissimo et excellen tissimo principi et Domino Karolo duci Sabaudie conthorali meo obser vantissimo possessionem castrorum locorum et juridicionum que illus trissima bone memorie Domina Blanca olim ducissa Sabaudie tenebat et possidebat cum eorum proventibus redditibus obvencionibus et emolum entis nobis pro status domus nostre substentacione assignatorum ex forma contractus nostri dotalis nobis remitti et assignari confisi itaque de probitate et experientia spectabilis Domini Alvari Johannis utriusque juris licenciati et serenissimi domni et genitoris mei observandissimi domini Portugallie regis expeditoris ex nostra certa sciencia eundem domnum Alvarium Johannem presentem et acceptantem harum serie facimus constituimus et deputamus procuratorem nostrum specialem. *Ita* tamen quod specialitas generalitati non derroget nec e contra ad videlicet pro et nomine nostro aprehendum et adipiscendum realem actualem et corporalem possessionem dictorum castrorum locorum jurisdictionum reddituum bonorum emolumentorum et pertinentium eorumdem et aprehensam retinendum ac alia faciendum quae nos ipsi faceremus si presentes

adessemus sub tamen modis reservacionibus et formis in dicto dotali instrumento laciis descriptis.

Promittentes nos ducissa prefata gerenda per vos in premissis et circa perpetuo habere ratta gratta valida et firma et numquam contravenire cum et sub aliis promissionibus renunciaczionibus et ceteris clausulis in talibus opportunis quas hic pro expressis haberi volumus et has in premissorum testimonium concedimus.

Datas Cargnani die undecima mensis Novembris millesimo quingen-tesimo vigesimo primo. Per Dominam. Duquesa. Vulliet.

Presentis et acceptantis nomine et ad opus prelibate domine ducisse per eandem illustrissimam dominam ducissam seu ab eadem deputandum a modo in anthea tenendum et possidendum sub modis tamen et formis laciis in predicto instrumento tractatus matrimonii expressis jubendo et precipiendo prefato domino castellano Montis Caleri ibidem ut supra presenti.

Quathenus hunc locum Montis Calerii ejus durante acensamento et officio nomine et ad opus prelibate domine ducisse teneat et possideat et de prexiis obvencionibus ac emolumentis predicti loci a modo in antea non habeat respondere nisi in manibus prelibate illustrissime domine ducisse seu ab ea deputandum.

Qui dominus castellanus paratum se obtulit quibuscumque mandatis ducalibus obedire et premissa omnia facere. *Intimavit* eciam et mandavit prefatus magnificus dominus collateralis et comissarius ducalis nobilibus Luquino Paniceria Bernardo Avareni sindicis et aliis credendariis et consiliariis ibidem ut supra congregatis et presentibus ac toti comunitati ejusdem loci Montis Calerii in eorumdem sindicorum prenominatorum credendariorumque et consiliariorum personas.

Quathenus prelibate illustrissime domine ducisse ac suis officialibus a modo in anthea parere et obedire uti eorum domino de cetero debeant. *Quiquidem* nobilis Luquinus Paniceria consindicus nomine et vice dictorum considici credendariorum et consulum ac tocius consilii creddencie et comunitatis Montis Calerii obtulit et seu obtulerunt sese paratos citra tamen prejudicium et derrogacionem franquiarum libertatum statutorum et capitulorum ejusdem loci Montis Calerii quibuscumque mandatis omnibus Sabaudie ducatibus ut decet semper obedire et premissa facere. Sperantes prelibatam illustrissimam dominam ducissam ipsas franquias libertates statuta ac bonas consuetudines ejusdem loci eisdem comunitati et hominibus observaturam ac ipsam comunitaten et homines particulares in eorum agilibus commendatos semper habituram. *De* quibus omnibus premissis jusserrunt michi notario et archarum comunitatis curieque ejusdem loci concribe publico infrascripto tam prefatus dominus collateralis et comissarius ad opus prelibate illustrissime domine ducisse ac quorum intererit in futurum quam prefatus nobilis Luquinus nomine premisso fieri litteras testimoniales seu publicum instrumentum presentibus ibidem ad

omnia et singula premissa nobilibus Bonifacio Pisii et Raymondino Gay
Burgensibus Montis Calerii testibus ad hoc vocatis et rogatis.

*Et ego Bernardus Monibelli de Monte Calerio publicus imperiali et
ducali Sabaudie auctoritatibus notarius Curieque et Archarum communis
eiusdem loci Montis Calerii conscriba ad premissa per prefatum magni-
ficum dominum collateralem et comissarium electus et assumptus supra-
scriptam missionem in possessionem cum omnibus et singulis supra-
gestis recepi ac scripsi et in hanc publicam formam levavi solito signo
proprio tabellionatus in premissorum fidem apposito.*

A margem: (sinal do notário).

(A. R.)